

Estote sinceri et sine offensa in diem Christi.

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Philippénes

1, 4-6. 8-11

Fratres:

⁴ **S**emper in omni oratióne mea
pro ómnibus vobis cum gáudio deprecatióne fáciens
⁵ super communióne vestra in evangélio
a prima die usque nunc;
⁶ confidens hoc ipsum, quia,
qui cœpit in vobis opus bonum,
perficiet usque in diem Christi Iesu.

[7]

⁸ Testis enim mihi Deus, quómodo cúpiam omnes vos
in viscéribus Christi Iesu.
⁹ Et hoc oro, ut cáritas vestra
magis ac magis abúndet in sciéntia et omni sensu,
¹⁰ ut probétis potióra,
ut sitis sincéri et sine offénsa in diem Christi,
¹¹ repléti fructu iustítiæ,
qui est per Iesum Christum,
in glóriam et laudem Dei.

Verbum Dómini.